



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

XI. De Electione per viam Scrutinij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

conclamant, Glossa *initio in c. Perpetuo*
7. in 6. quia ita concors consensus profi-
 cifici præsuntur ex intuitu Spiritus
 sancti, qui unitatis & concordie est au-
 ctor, *can. Schisma 24. q. 1.* atque hujus-
 modi per quasi inspirationem Electio,
 quia eam à Deo esse certò non scitur: sed
 ex concordia & animorum unione solum-
 modo præsuntur, subjacet legi & pote-
 stati Ecclesiasticæ, ipsam non tantum con-
 firmanti, sed ejus confirmationi præ-
 mittenti cognitionem, an revera ab om-
 nibus simul congregatis: nullò vel tan-
 tum generali, & non speciali tractatu de
 certa persona assumenda: nullà conspira-
 tione, sollicitatione, disputatione aut con-
 traditione præcedente: nullà fraude,
 promissione vel labe simoniacâ interve-
 niente, liberè & spontè sit facta, Idem *n.*
3. 66 & Fagnanus in c. Quia propter
cit. n. 29. qui tamen *n. 25.* & ante ipsum
 165. *Garcias de Benef. p. 5. cap. 4. n. 204.*
 monent, hujusmodi electionis usum cum
 tempore remotum ab Electionibus Re-
 gularium: in quibus eligentium vota
 secreta esse, & nunquam publicari, vo-
 luit Concilium Tridentinum *sess. 25. cap.*
6. de Regul. quò decretò electionem per
 quasi inspirationem, respectu Abbatia-
 rum & cæterarum prælaturarum Regu-
 larium, sublatam à Card. ejus Concilii
 Interpp. Congregatione iteratò declara-
 tum, testes sunt Barboza *in cit. cap. 6. n.*
15. & Passerinus *de Electione cap. 1. n. 59.*
 Contrarium tamen sustinet *Laiman Q. 2.*
Canon. de Elect. q. 230. & à Declaratio-
 nibus abstrahendò, facilè defendi censet
 Engel *hic n. 33.* cum; quòd *cit. S. Synodi*
 decretum explicari possit de electione
 per Scrutinium: tum verò; quòd in e-
 lectione per quasi inspirationem, hoc
 ipso; quòd unanimi omnium consensu
 fiat, cesset ratio periculi inimicitiarum &
 similibus incommodorum: propter quæ

vota secreta esse, S. Synodi PP. volue-
 runt. Sed, etsi hoc ita sit, standum est de-
 clarationibus, si authenticas esse constet.

ARTICULUS XI.

De Electione per viam
Scrutinii.

SUMMARIUM.

166. *In Scrutinio ab electoribus congre-*
gatis,
 167. *Tres scrutatores expressè,*
 168. *Vel tacitè assumpti,*
 169. *(Etiam sine Præside)*
 170. *Secretè & Singillatim,*
 171. *In loco ab aliis remoto exquirunt*
eligentium vota:
 172. *Quæ esse pura & certa:*
 173. *Non ab aliquo futuro aut incerto*
pendere debent.
 174. *Eadem in scriptis redigenda,*
 175. *Et publicanda sunt;*
 176. *Ut, factâ regulariter triplici Colo-*
latione,
 177. *Secundùm majora & saniora,*
 178. *Formatum electionis decretum,*
promulgetur.
 179. *In electione locus non est varia-*
sioni:
 180. *Nisi scrutinium nondum publica-*
tum,
 181. *Vel sequi ex eo nequeat electio*
communis,
 182. *Vel eò nominatus juri suo renun-*
tiet,
 183. *Vel jure ineligibilis sit.*
 184. *In eadem locum non habet accessus*
ad minorem:
 185. *Imò etiam ad majorem partem:*
 186. *Nisi electio adstricta non sit ad*
formam c. Quia propter 42.
prescriptam:
 187. *Quæ*

187. *Qua in sola & omni Pralatorum electione,*
 188. *Sed regulariter tantum observanda est;*
 189. *Ut aliter facta electio irrita sit,*
 190. *Secundum aliquos etiam in foro interno;*
 191. *Verius tamen in solo externo,*
 192. *Si, Jure Naturali spectatò, subsistat.*
 193. *Idque spectatis Juris textibus,*
 194. *Et ratione quoque;*
 195. *Ut electus Pralaturam licite retineat.*
 196. *Solennitatis defectu compertò aliquando nova electio inchoari potest.*

166. **U**T Scrutinium, quæ electionis altera & usu receptissima forma est, ritè peragatur, Innocentius III. c. *Quia propter* 42. requirit, *Ut presentibus omnibus, qui debent & volunt & possunt commodè interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi; ut is collatione habita eligatur, in quem omnes vel major & sanior pars Capituli consentit.* Hactenus textus, secundum quem ad Scrutinium DD. passim exigunt Primò; ut electores congregentur, hoc est, in unum locum simul conveniant, c. *Cum terra* §. *Quia igitur V. Statuentes*; quia electio est actus Capitularibus competens, non ut sunt personæ singulares: sed, ut Collegium constituent; cujusmodi actus tantum à collegialiter congregatis expediri possunt, arg. l. *Sicut* 7. ff. *Quod cujusque universitatis* &c. Panormitanus in c. *Auditio* 29. num. 8.

167. Secundo; ut à capitulo ita congre-

gato eligantur tres scrutatores, qui & ipsi de capitulo sive numero eligentium & viri fide digni sint. Quam numerum ternarium: uti etiam, quòd scrutatores esse debeant de capitulo, ad electionis substantiam pertinere, licet probabitur neget Glossa in c. *Quia propter* 42. V. *Sanior & V. Viri*, alii tamen verius affirmant; ut, spectatò Jure, saltem quando electores idonei pauciores non sunt, si scrutatores pauciores vel plures aut extranei assumerentur, electio potest irritari. Ratio est, quia cit. textu præscripta constitutum electionis formam, cujus constitutiva non minus, quam ipsa ad rei substantiam spectant, Hottentius in c. cit. n. 17. & aliis relatis Fagnanus 43 & 44. Dixi, spectatò Jure; quæ consuetudine aliud obtinet in multis Germaniæ nostræ, præsertim Regularibus Ecclesiis: in quibus communis consensu, omnium vel majoris partis capitularium, ad Scrutinium extranei (non tamen laici) assumi solent, teste Lami in cit. c. n. 3. & possunt secundum Pöferinum de Elect. cap. 16. n. 17.

Dubium hic movetur, an valde electio, in qua tres vel etiam unus capitularium Scrutatoris munus aggregentur, aliis non contradicentibus quibusdam, sed eos etiam non designantibus, sit irrita, ut enim negat Fagnanus in c. cit. n. 42. & ratio; quòd se ultrò ingredientes reddant suspectos, arg. l. *Qua omnia* ff. de Procurat. Cui doctrinæ etiam locum & electio saltem infirmata sit, quæ se ingererent tales, quibus alii electio non auderent contradicere, validam fore men & non irritabilem electionem esse ferem, quando se ingredientes, neque timorabiles ob potentiam, neque de his essent suspecti; quia tales dici possunt, si tem tacitè assumpti à capitulo; cum enim hoc

hoc, si non consentiret, ex officio contradicere teneretur, id cum facile posset, non faciendò, tacitè consentire, eosque ad scrutinium assumere censetur, præsertim in re favorabili, cuiusmodi est; ut Ecclesiæ provideatur de Pastore: in qua taciturnitas consensui & mandato æquiparatur, secundum Glossam receptam in Reg. *Qui tacet 44. in 6.* Panormit. in c. *Quia propter cit. n. 19.* & ibi Laiman n. 3.

169. Dubium etiam est, an ad electionem necessariò requiratur Præses, qui illam dirigat. Ratio dubitandi est; quia ita habet praxis: & meritò; cum sic viteretur confusio, & discordiarum occasio amputetur, arg. can. In apibus 7. q. 1. sed ejus necessitatem praxis non satis probat; cum ex ista non constet de ulla electione, ob defectum Præsidis cassata. Accedit quòd c. *Quia propter cit.* ubi electionis substantiaia referuntur, nulla ejus mentio fiat: sed solum requiratur, ut fiat à capitulo: cui, etsi valde conveniat, tamen non necessariò requiritur, ut habeat Prælaturam, præsertim in actu, illius eligendi gratià instituto; cum tam electionis, quam alii actus capitulares dirigi possint ab antiquiori, Baius de Elect. p. 3. cap. 4. n. 1. & Fagnanus l. cit. n. 72.

170. Tertiò requiritur, ut Scrutatores (præstitò prius, ut in multis locis consuetum & consultum esse, monet Rodriquez Tom. 2. Q. D. Regul. q. 52. art. 1. juramento, quòd omnia fideliter agere & secretum servare velint) electorum præsentium cunctorum vota secreta & sigillatim, hoc est, non aliqua plurium vota simul, aut palam; sed singula seorsim ab aliis electoribus, & diligenter exquisirant: eaque, vel voce vel scriptò tradita, excipiant. Quod statuendi ratio fuit; ut sine ulla confusione & liberiùs vota sua exprimere singuli valeant, Laiman in c. *Quia propter cit. n. 4.* & ibi Fagnanus

n. 47. Atque hoc in praxi ita observatur, ut primò exquirantur vota ejus, qui toti collegio præest: deinde singuli ipsorum Scrutatorum, aliis duobus exquirentibus; & postea primùm, ipsis interrogantibus, reliqui electores vota sua dent; ne, si scrutatores post agnita omnia aliorum vota suffragentur, alicujus electionem mutatò suò votò impedire vel promovere facile possint, Laiman cit. n. 6.

In prælatorum tamen Regularium electionibus, usu passim receptò, electores singuli nomen ejus, quem eligere volunt, inscribunt schedæ, & hanc clausam vel obhgnatam in urnam conjicere solent; ut ita electio sit secreta, ex decreto Trid. sess. 25. cap. 6. de Regular. citr. Rodriquez art. 8. & Laiman n. 6.

Dubium est, an singulorum vota à Scrutatoribus excipienda sint, cæteris capitularibus præsentibus ac videntibus. Quòd modò illa excipi à scrutatoribus posse, non est, qui ambigat; quòd c. cit. solummodo exigatur, ut vota exquirantur secreta & sigillatim; ne à cæteris capitularibus percipiantur: quod, si locus amplius sit, in ejus angulo vel parte remota fieri, capitularibus in alia parte præsentibus & eminus intuentibus potest. Si locus capituli electionis angustior sit, scrutinium in loco illi contiguo peragi, in eumque vocatorum capitularium singulorum vota exquiri & recipi posse, cum Baius cit. p. 3. cap. 25. n. 3. & Mandagoto de Elect. prelat. cap. 24. pr. docet Passerino de Elect. cap. 18. n. 3. In quam rem Baius allegat c. In causis 30. verba, Cum ad tractandù de electione secessissent in partè. Verùm, quia hoc non de scrutatoribus, sed de electoribus, compromissariis communi capituli consensu electis, & ad sibi commissum electionis negotium pertractandum in locum separatim se conferentibus asseritur, ex verbis illis in rem præsentem

sentem argui nequit. Utilius in hanc allegatur *c. Quia propter cit.* quò, licet presentibus omnibus assumendi de collegio dicantur tres scrutatores, his tamen, ut singulorum vota presentibus ac videntibus ceteris exquirant, non precipitur: sed id solummodo injungitur, ut illa exquirant *diligenter secretè & sigillatim*; ne ab aliis audiantur: quod, si locus capitularis satis amplus, in ejus angulo vel parte à capitularibus presentibus & intuitibus remotiore: vel si, quàm secreti ratio poscit, angustior sit, in separato & capitulari contiguo loco fieri potest; cum id ita fieri neque *c. cit.* neque alibi prohibeatur: & conforme sit praxi nonnullarum Germaniæ nostræ Ecclesiarum & Formulæ Instrumenti Electionis à Zerola Prax. Episc. p. 1. V. Electio relata.

172. Quartò, capitularium vota esse debent Pura, sive absoluta, & Certa, *c. In electionibus 2. in 6.* quò irritantur & penitus reprobantur vota, imprimis Conditionalia, v.g. *Eligo Titium, si nemo dissentiat*: vel, *si eum etiam eligat Cajus*, Glossa ibi V. Conditionalia: vel etiam, *si ipse Titius consenserit*; quia electus consentire debet electioni de se factæ: quod non fit, si suffragium feratur sub conditione consensûs ipsius eligendi; quia hæc positò conditio primùm impletur & electio perficitur, Joan. Andr. in *cit. c. n. 6.* Deinde Alternativa, v.g. *Eligo Titium vel Cajum*: Demum Incerta, v.g. *Eligo, quem senior elegerit*, Glossa in *c. cit. V. Incerta*. Quare tali casu electio facienda est ex votis puris & certis; ut, si ex duodecim Canonicis octo tantùm purè & absolute suffragium tulissent: & quinque illorum consensissent in Titium, huius electio, tanquam à majori parte facta, sine novo scrutinio esset promulganda; quod incerta & similia vota pro non datis habeantur, *c. cit.* Glossa ibi V. Re-

fidente, Laiman n. 2. Passerin. *cit. cap. 18. n. 24.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 171.*

Dubium tamen de votis teu suffragiis Conditionatis est, an ea indiscriminatim omnia irrita sint. Quod suadet ratio; quia electio, postulatio & provisiones beneficiales quæcunque adnumerantur actibus legitimis, non recipientibus conditionem vel diem, per *Reg. Affir. legitimi 77. ff. & 50. in 6.* ut adeo, ejusmodi provisionum actus puros & abolutos esse, sit necesse; cum ex officio profectandi sint; ut Ecclesiis ac beneficiis vacantibus certò & sine mora provideatur. Sed ratio hæc ab electionis voto non indiscriminatim omnes, sed eas dumtaxat condiciones removet, quæ impediunt, quò minus consensus de presentibus determinatus sit & certus, ut præter relata conditionalia vota etiam sunt, *Eligo Titium, si Papa placuerit*, *Si quod obrem beneficium dimiserit*, *Si solum incrementum præstiterit* & quæcunque relata in eventum futurum contingentem; imò etiam relata in præteritum vel presentium, v.g. *Si Titius morbo liberatus*, *Si perperam profectus frater ejus superstes est*; quævis enim talis conditio actum non suspendat, continet tamen incertitudinem, in electionis voto etiam reprobata, *c. In electionibus cit.* cum ex eo certa electio sequi non possit, ut cum Joan. Andr. in *c. cit. n. 6.* Joan. Monach. & Franco *ibid. n. 5.* observat Passerin, *cit. cap. 18. n. 21.* Alia ratio est conditionum, quæ in actu ipso Jure, ut v.g. est, *Eligo Titium in prolatum, si Ecclesia vacat, si in ætate legitima vel Ordine sacro est constitutus*, quæ tales condiciones actum verè conditionatum & incertum non reddunt; sed solummodo exprimunt id, quod in voto per se continetur, Glossa in *c. cit. V. Incerta, ubi Franc. n. 4.* Vivianus pr. & Laiman n. 1. in fine. Simili modo solentur

votum in aliquem collatum sub conditione de futuro necessario, v.g. *Eligo Titium, si cras sol orietur*; quia etiam talis conditio, cum determinata jam sit in sua causa; pro præsentate & existente habetur, §. *Conditiones 6. Instit. de V.O.* consensum non suspendit aut reddit incertum, Passerin. *cit. cap. 18. n. 22.*

174. Quinto, vota seu suffragia singulorum in scriptum redigi debent ab uno ex ipsis Scrutatoribus ad hoc deputato, vel ab uno ex testibus: quos ad electionem majori fide celebrandam adhiberi posse, docent in *c. Quia cit. Innocentius n. 1. & Panormit. n. 14.* vel à tabellione seu Notario, ad id constituto: quem etiam laicum esse posse, desumitur ex Tridentino *sess. 22. cap. 10 de Ref.* ubi habetur Notarios regia autoritate constitutos, hoc officium exercere etiam in negotiis & causis Ecclesiasticis & spiritualibus posse, ut rectè observat *cit. Fagnanus n. 54.*

175. Sexto, sic in scriptis redacta mox, hoc est, nullò actu extraneò interpositò, publicanda sunt in communi; ut palam appareat, quis aut quinam sint electi; cuius publicationis effectus est; quòd eà factà electores variare, id est, suffragium suum revocare, & alteri dare regulariter non possint, *c. Publicatò; §. Regulariter,* inquam; imprimis propter electiones monialium: in quibus, si in nullam duarum, sed tamen major pars in unam consentiat, minor pars variare & illi, quæ à majori electa est, accedere potest: dummodo id in continenti, & nullò actu extraneò interpositò, fiat, *c. Indemnitate 43. §. Sane in 6.* Deinde; quia in aliis etiam electionibus, si publicatò scrutiniò in duos æqualia aut in nullum majora vota conspirent, electores communi consensu, vel novum scrutinium inchoare, vel in aliquos compromittere, vel mutata tententià accedere possunt ad

numerum ejus, qui plura, licet non sufficientia, suffragia habuit, Panormit. in *c. Publicatò cit. n. 7. & Fagnanus ibid. n. 36.* cum enim tali casu nemini sit jus quæsitum, variatio in nullius præjudicium aut infamiam cedit: quod *c. cit.* prohibita variatione præcipuè cavetur. Denique; quia, si publicatò scrutiniò is, in quem major pars consentit, juri suo renuntiet, aut certò appareat, eum propter legitimum natalium, ætatis vel aliquem alium defectum Canonicum, ineligibilem esse, electores variare & minori parti dignum eligenti accedere possunt, Laiman *de Elect. q. 77. Fagnanus cit. n. 41.*

Septimò, publicationem scrutiniò 176. statim sequi debet Collatio: quam ipsi Scrutatores aut alii à capitulo deputati facere debent, *c. Quia cit. Sc. Cumana 50.* Ubi propter ejus omissionem electio irrita est declarata. Ea autem juxta *c. In genesi 35.* est triplex. Numeri ad numerum; ut appareat, quot quisque suffragiis, & an aliquis à majori parte sit electus: Zeli ad Zelum, considerandò ipsorum eligentium prudentiam, probitatem, intentiones & motiva, an merita personæ eligendæ & bonum Ecclesiæ, vel privatum amicitia, consanguinitatis aut alium affectum sint secuti; ut appareat quis electus sit à parte Capituli, non tantum majori, sed etiam saniori: quæ in 177. Canonica electione simul concurrere debent, *c. Quia cit.* Meriti ad meritum, ponderandò & considerandò merita scientiæ, prudentiæ, Virtutum unius cum meritis ejusmodi alterius electi; ut appareat, quis ex duobus electis magis idoneus sit, Tholosanus *de Elect. cap. 16. à n. 13.*

Qua in re tamen Notanda sunt quatuor. Primum est, casu, quò duæ partes capitularium in unum consentiunt, non esse opus prædictâ collatione Meriti & Zeli, ut colligitur ex

Oo 2

c. Si quan-

e. Si quando 9. in 6. Alterum, exactiorem collationem faciendam, si dubium oriatur, an qui jus suffragii habent, omnes adfuerint vel suffragium dederint: an aliqui privati sint jure suffragii, vel hoc bono Zelò contulerint: an electus ætatis, scientiæ vel aliò defectu laboret, Laiman in *c. Quia propter cit. n. 8.* Tertium, in dubio partem capituli, quæ major est numerò, etiam censerì saniozem; quòd regulariter præsumatur pro pluralitate, si contrarium non probetur, *arg. c. Prudentiam 21. de Offic. delegati & c. 1. De iis, quæ à majori, Panozmit. in c. Ecclesia 57. n. 4.* Quartum, in multis Ecclesiis, præsertim Regularium, non aliam collationem fieri, quàm numeri ad numerum; quòd ob perfectam probitatem eligentium, eorumque juramentum dubitare non liceat, eum, qui à majori parte electus est, verè idoneum esse, Laiman *l. cit.* ubi hujusmodi eligendi formas *q. Quia propter cit.* derogantes, aliquando Privilegiis Apostolicis munitas, desumit, ex *Clement. Exivi §. Demum de V. S.*

178. Octavò, factà collatione, si vota ita reperiantur dispersa, ut nullus à parte Capituli majori & saniori, vel duo æqualibus votis electi sint, scrutinio illò cassatò ad novum proceditur, vel compromissi via inicitur. Si verò unum à majori, v.g. ab undecim electoribus ex viginti, & à saniori parte electum, eumque dignum & ad prælati munus habilem esse appareat, mox formari debet Decretum electionis, & omnium nomine ab eo, qui capitulo præest, vel ab eo, qui electum primus nominavit, vel ab alia persona à Capitulo deputata publicè promulgari, *c. Quia propter cit. & c. Sicut cum 21. in 6.* Forma autem ejusmodi Decreti esse solet: *Ego N. nomine meo & aliorum eligentium mihi que consentientium, invocatà S. Spiritus gratià, in Episcopum (vel Abba-*

tem) hujus Ecclesia N. eligo & electum pronuntio & coram vobis publico, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen, Tholosanus c. cit. n. 17. & Laiman in c. Quia cit. n. 9. Ex dictis

Dubium oritur primò, an in scrutinio locus sit variationi sive suffragii mutationi. Quæ de re Gregorii IX, celebris constitutio est, *Publicatò scrutiniò variare nequeunt electores; cum sit facienda collatio & electio celebranda:* ex quo textu propositæ dubitationis facta certa resolutio, & distinctio faciendæ est inter tempus antecedens & consequens scrutini publicationem.

Et illò quidem sive scrutini publicationem consequente tempore variationi electoribus apertè denegata est *c. cit.* ut electores neque singuli seorsim, neque simul omnes Collegiali & unanimi decretò à nominatione in scrutinio facta recedere possint, per notatam in *c. cit.* ab Innocentio *pr. Hostiensis n. 9. Anthonis not. 1. & Fagnano n. 11.*

Illò verò sive scrutini publicationem antecedente tempore, cum Imolanus *c. cit. n. 5. Baisio p. 3. cap. 30. n. 5. Fagnano in c. cit. n. 55. & Pirching ad Rubr. n. 177.* variatio electoribus ita obstruenda est; ut, postquam suffragium suum in personam aliquam, vivè voce etiam scriptò expressam, coram scrutatoribus jam contulerunt, & à scrutatori co recesserunt, ad eum redire & mutati animi sententià suffragium suum in aliam valeant conferre: imò capitulum vel major ejus pars, illò scrutiniò ex justa causa cassatò, ad novum procedere possit, ut desumitur ex *c. cit.* variationem inhibente post scrutini publicationem. Unde illam ante istius publicationem permittebam, DD. *citt.* inferunt argumentò ductò à contrario, vim in Jure magnam obtinente, cum eò illati contrarium Jure non est eo

est expressum &, ut *c. cit.* verba legis vel canonis causative, & non merè narrative ponuntur, Panormit. *in c. cit.* n. 6. & Fagnan. n. 49.

Rationes discriminis à DD. adinventæ variæ: sed pleræque adeo infirmæ sunt, ut *in c. cit.* Joan. Andr. n. 15. & Fagnanus n. 7. ad l. *Non omnium* 20. ff. de LL. non obscure confugiant, dum Papæ, *c. cit.* conditoris, arbitrium & voluntatem reddunt pro ratione. Verisimilius tamen perusio illò non opus, & discriminis ratio satis congrua est partim; quòd ipsa scrutini publicatione capitularium suffragatio conclusa suòque officio electores functi intelligantur; atque idcirco ad votorum collationem &, si quem à majori capituli parte nominatum appareat, ad communem electionem procedere possint, ac debeant compelli *c. cit. in fine*: partim verò; quòd variatio scrutini publicationem & personarum nominatarum manifestationem sequens infamiam quandam & confusionem afferat personæ à pluribus nominatæ & publicatæ: cui incommodo obnoxia non est variatio scrutini publicationem antecedens; cum in personam, à qua variando receditur, suffragium collatum soli scrutatores, ad secreti fidem servandam obligati, sciunt.

181. Hæc tamen, de variatione post scrutini publicationem inhibita, doctrina Regularis duntaxat: non perpetua est; cum illa utique permisa sit Imprimis, quando ex scrutinio peracto communis & canonica electio sequi non potest; quòd vota in duos æqualia, vel in plurimum nominatorum nullum majora sive plus quàm dimidiæ partis capituli vota collata esse appareat; cum tali casu vel Compromissi via incunda, vel inchoandum sit novum Scrutinium: ex quo ut communis & Canonica electio sequatur,

ab electoribus saltem aliquibus suffragium in personam, à prius nominata diversam, dirigi est necesse, *citt.* Panormit. n. 7. Fagnan. n. 36. & Tholosan. de Elect. cap. 16. n. 15.

Deinde, si is, qui maioris partis suffragiis nominatus est, juri suo renuntiet sui que electioni faciendæ contradicat, *arg. c. Si electio* 26. in 6. cum enim tali casu nominato ullum præjudicium non fiat, & ad electionem alterius novò scrutiniò institutò procedi possit, in isto ab aliquibus saltem variari, & suffragium in alium conferri est necesse, *citt.* Fagnan. n. 39. & Pirrhing n. 176. limit. 3.

Demum, si publicatione facta appareat, maioris partis suffragiis nominatum indignum esse, sive laborantem impedimento Canonico, ipsum reddente ineligibilem seu vocis activæ incapacem; cum enim talis electio ipsò Jure invalida sit, locus &, Compromissò seclusò, opus est novò Scrutinio: ad quod ii, quorum suffragiis indignus est nominatus, saltem si ad electionem communem processum non sit, cum aliis admissi, *c. Perpetuò* 7. in 6. suffragiis suis in alium directis variare poterunt & debebunt, *citt.* Panormit. n. 8. Fagnan. n. 41. & Pirrhing limit. 2.

Dubium secundò est, an, si scrutiniò publicatò duos votis æqualibus nominatos, vel illis in plures dispersis neminem partis respectu totius capituli, sed aliquem partis aliarum tantum partium respectu maioris suffragiis nominatum appareat, locus sit accessui minoris partis ad maiorem vel æqualis ad æqualem. Certum est, locum non esse accessui ad partem minorem, *arg. c. Auditoris* 29. quòd talis accessus cedat in confusionem eius, qui pluribus, licet non sufficientibus, suffragiis est nominatus.

De accessu etiam ad partem maiorem vel

003

rem vel

rem vel æqualem dubitandi ratio gravissima est; quòd de electionis Canonice forma substantiali sit, vota dari in ipso scrutinio, secretè & singillatim, *c. Quia propter cit. pr.* quod in huiusmodi accessu apertè non observatur; cum maiori vel æquali parti accedendò minor & æqualis pars accedens suum in personam consensum palam & extra scrutinium, istòque iam perfectò declarat. Quæ ratio, proposito accessui locum de Jure non esse evincit in Ecclesiis, quibus viduatis de prælato providendum est per electiones, juxta formam *c. Quia propter cit.* præscriptam celebrandas, ut cum Panorm. *in c. Cum in jure 33. n. 6.* advertit *cit. Passerin. cap. 22. n. 9.* ut adèd in proposito casu votorum in diversos ita dispersorum, ut plus quam dimidiæ partis suffragiis nominatus nemo sit, vel in eunda via Compromissi, vel ad novum Scrutinium redeundum, idque iterandum sit, donec aliorum accessione, in scrutinio secretè & singillatim facta, aliquem maioris capituli partis suffragiis nominatum appareat, de eòque celebrari valeat electio communis.

186. Quare accessui ad partem capituli, aliarum partium respectu maiorem, locus ante formatum & promulgatum communis electionis decretum, & in iis tantum Ecclesiis est, ad quas celebrandæ electiones, vel communi vel speciali alicujus Ecclesiæ Jure, v.g. ex privilegio vel antiquissima Consuetudine, non exposcunt observantiam formæ præscriptæ *c. cit.* quòd in iis vota secretè & singillatim atque in ipso scrutinio dari non sit necesse: ex qua causa in Electionibus Monialium accessui locum esse, liquet ex *c. Indemnitatibus 43. §. Sanè in 6. & infra n. 237.* dicitur. Ratio ejus in talibus electionibus permittæ est; quòd, cum ex suffragiis partis minoris nominato ullum jus

acquisitum non sit, & communis electio sequi non possit, nullum ei præjudicium generetur, Panorm. *in c. Publicata cit. n. 7.* Sylvester *V. Electio 2. q. 7. Solutio de Benef. p. 3. q. 1. n. 25.* & Laiman *in c. Quia propter cit. n. 10.*

Neque cum hoc pugnat rescriptum Innocentii III. *c. Auditis 29.* electionem per accessum ad justum numerum suffragiorum deductam, irritam declarant, suæque declarationis eam reddentis rationem; *Quoniam electio, qua fuerat irrita ipso Jure, per subsequentem consensum non poterat esse rata.* Non, inquam, rescriptum hoc cum minoris partis ad majorem accessione pugnat, partium; quia *in c. cit.* casu accessum non ad majorem, sed ad numerò multò minorem partem factum, ex ipso textu liquet: partium verò; quia accessio *in c. cit.* casu facta non erat ante, sed post electionis decretum jam publicatum: quòd cum eodem Jure irritum fuerit, accessione ex post facto secuta non potuit convalescere. Laiman *in c. Auditis cit. n. 2.*

Dubium tertio est, an declaranda ligendi forma in omnibus electionibus observanda. Ratio dubitandi est, quia *c. Quia propter cit.* tantum præscribitur *Ecclesiis Viduatis*: cujusmodi propriè loquendo sunt solæ Ecclesiæ Cathedralis hisque superiores, inter quas etiam prælatos Archi- & Episcoporum matrimonium spirituale intercedit. *can. Sicut 7. q. 1. c. Inter 2. §. c. fa. de Transl. Episc.* Verùm, esto propter hanc rationem declarata scrutini forma accessu servanda non sit in electionibus beneficiæ & dignitates, quæ propriè prælatuæ non sunt, Glossa *in c. cit. §. Viduatis & ibi Fagnanus n. 34.* observanda tamen regulariter necessariò est in electionibus non tantum Archi- & Episcoporum, sed aliorum etiam prælatorum, qui vel

qui vel ob exemptionem à jurisdictione Episcopi, vel alio Jure speciali, ordinariam & generalem jurisdictionem spirituales in subditos, saltem clericos, exercent; quia etiam hi, etsi in latiori, non incongruo tamen sensu, dici possunt suarum Ecclesiarum quasi sponsi, ut colligitur ex *c. Ne pro defectu 41.* ubi hujusmodi Ecclesiarum perinde, ut Cathedralium, praelati Pastores vocantur: & quando per ipsorum obitum, renuntiationem &c. vacant, pro viduatibus perinde habentur, ut Ecclesiarum Cathedralium, Glossa in *c. Quia V. cit. & ibi Laiman n. 11. Barbosa n. 6. & Fagnanus n. 9.*

188. Dixi tamen Regulariter, imprimis; quia aliquando, praesertim in Monasteriis vel Ordinibus Religiosis, ex privilegio Apostolico aut vi Consuetudinis saltem immemorialis, ex conditionibus *c. cit.* requisitis & haecenus declaratis aliqua omittuntur. Deinde; quia aliquando paucitas electorum, v.g. quando duo vel tres aut etiam quatuor tantum sunt, secundum Innocentium in *cit. c. n. 4.* facit, ut praescriptam formam exactè observare non teneantur. Cujus rationem dat Baldus *ibid. n. 20.* quòd statutum, si ejus verba observari non possint, cesset. Unde tali casu, si praelatum eligere nolent per compromissum, vel scrutatores extraneos adhibere: vel ex ipsis capitularibus scrutatorem unum cum Notario constituere: vel denique sine forma scrutini suffragia sua voce aut scripto exprimere possent, ut probabiliter docet *cit. Laiman. n. 12.*

189. Dubium est quartò, an ipsò jure irrita sit Episcopi vel alterius praelati, generalem & Ordinariam Jurisdictionem obtinentis, electio, si in ea, Privilegiò & consuetudine cessante, declarata scrutini forma non observetur. Affirmativa à DD. passim recepta est pro-

pter verba, *Aliter electio non valeat.* Quae tamen sententia admittit limitationem, quoad primum requisitum; si enim eorum, qui de jure debent & volunt & commodè interesse possunt, aliqui non vocati contemnerentur, electionem non semper irritam ipsò Jure: sed aliquando solum irritabilem esse, patet ex dictis supra n. 87.

Dubium & ardua non minus, quàm 190. utilis controversia quintò est, an ejusmodi electio nulla etiam sit in Foro interno; ut electus eam obtentam praelaturam dimittere teneatur, etiam si electio per sententiam nulla non declaratur, sed confirmetur; id enim magni nominis TT. & ICT. i volunt, & suadent non levis momenti rationes.

Primò; quia extra omne dubium est, electionem, *c. Quia propter cit.* formam non observatam, celebratam ita irritari ab Innocentio III. potuisse: ita autem eam irritare hunc summum Pontificem voluisse, inde clarum est; quòd *c. cit.* de tali electione eodem modo loquitur, quò Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 1. de Ref. matr.* irritans matrimonium, aliter quàm praesente proprio Parochò & duobus vel tribus testibus contractum. Unde, sicut matrimonium aliter contractum, sic etiam ejusmodi electio in interno seu conscientiae Foro irrita erit.

Secundò; quia SS. Canones electioni, alià quàm *c. cit.* praescriptam formam, celebrandam resistunt, eamque reprobant, apposita clausula irritante: quò modò cum Jus actui resistit, eumque reprobat, eò contra tale jus gestò, nemo alteri etiam naturaliter obligatur, ut *arg. l. Non dubium 5. C. de LL.* cum Sylvestro *V. Obligatio n. 4.* & aliis docet Sanchez *Lib. 1. de Matr. disp. 7. n. 16.* ac proinde ejusmodi actu & electione praelaturam

laturam retinendi jus aliquod non acquiritur.

Tertiò; quia actus, nullus ob defectum potestatis agendi, nullam obligationem aut jus, etiam in conscientia Foro, producit; cum ex illius defectu proveniens nullitas omnium maxima sit: & propterea electionem, quæ electorum excommunicatorum aut suspensorum vitandorum, utpote eligendi potestate privatorum, suffragiis celebrata est, ex natura rei & in Foro animæ irritam merito pronuntiat Laiman *in c. Cum in cunctis* 7. §. *Inferiora* n. 17. Electio autem, quacunque, etiam Juris humani, solennitate omiffa, nulla est propter defectum potestatis in eligentibus; cum his prælatum non quomodocunque, sed cum solennitate *c. Quia propter cit.* præscripta, eligendi potestas à jure sit concessa.

Quartò; quia *c. cit.* inducta irritatio non fundatur in præsumptione incommo-
dorum, Ecclesiis ex quacunque electione particulari imminentium: sed in universali periculo multorum incommo-
dorum Ecclesiis inferendorum, nisi *c. cit.* præscripta forma in omni electione observetur. Quæ præsumptio cum vera sit & non cesset, quantumvis ex aliqua electione aliter celebratâ, Ecclesiæ damnum aliquod non impendat, *c. cit.* dispositio locum etiam habebit in foro Conscientiæ interno; ut, electione contra eam celebrata, electo non acquiratur ullum jus, vi cujus prælaturam, ad quam electus est, illasâ conscientia, etiam post confirmationem valeat retinere.

Quintò demum; quòd per electionis Canonicæ viam prælatus obtineat Spiritualem, eamque generalem & ordinariam, jurisdictionem; quam tanquam maximæ considerationis potestatem, contra SS. Canonum præscriptum,

& actu ab iis irritatò, electæ personæ ab Ecclesia conferri, credibile non est.

Hæc tamen &, si quæ alia propolita electionis omnimodam nullitatem propugnant, momenta rationum, licet levia non sint, non tamen persuadent electionem, quæ alicujus, humano solum jure prodita solennitatis defectu laborat, ita irritatam, ut electo etiam in Foro animæ non suffragetur; cum à persona, ita bonâ fide electa, prælaturam donec electio nulla declaretur, retinet illasâ conscientia posse, defendam. *c. Sacri Juris Interpretum principibus* & Doctoribus, qui electionis Jus cæteris accuratius pertractarunt, Innocentius *in c. Quod sicut* 28. Panormir. *in c. 1. de integ. res. n. 19.* Felinus *in c. 1. de Constitut. n. 39.* Anchoranus *in Reg. Prælatum* 4. in 6. n. 26. Sylvestr. *V. Electio* n. 11. Navarrus *Consil. 4. de Elect.* Miranda *Tom. 2. Manual. Prælat.* q. 13. art. 30. & in suis *Traclat. de Elect.* Binius *p. 3. cap. 20. n. 4.* Sigism. à Bononia *lib. 3. n. 2.* Laiman *q. 81.* & alius DD. *de Roæ decis. alleg. Passerinus cap. 9. n. 31.* ad quorum proinde mentem electiones, quæ Naturali & Divinò Jure spectant subsistunt, alicujus tamen, humano jure introductæ solennitatis defectu laborant, in Foro Conscientiæ pro irritis habendæ non sunt; nisi eas in hoc etiam irritatas ex SS. Canonum verbis aut circumstantiis constet: sicut constat, in hoc etiam Foro irritatas esse electiones, quæ celebratæ sunt, interveniente labe Simoniz, *c. Mattheus 23. & Extravag. V. Per Electiones de Simonia*, de peccato na irretitâ excommunicatione majore. *c. Postulatus 7. de Cleric. excom. minoribus* vel notatâ infamiâ Juris; cum enim talis infamia privet dignitatibus obtentis *l. Unic. C. de Infamib.* multò magis ad obtinendis repellat, *arg. l. Neque 2. C. de Dignit.*

matrimonium, quod à personis, ullo Juris impedimento non laborantibus, ac proinde validè semel initum est, propter suam insolubilitatem in irritum revocari, naturà suà non possit; electio verò ejus naturæ non sit, ut nequeat irritari.

Secunda; quia, ut ex actu, cui Jus resistit, ne naturalis quidem obligatio nascatur, necesse est; ut, vel semel validè gestus, naturà suà irritabilis non sit: vel eum pro utroque foro reprobatum, Jure exprimat: quorum neutrum convenit electioni; cum ista validè celebrata obnoxia sit rescissioni: eamque, cujuscunque solennitatis defectu laborantem, pro utroque foro irritatam, neque expressum Jure, neque Legali istius interpretatione vel generali Consuetudine sit declaratum.

Tertia; quia, cum solennitas non ipsam agendi potestatem, sed actus formam & modum constituat, ex ejus omissione proveniens electionis nullitas, ex solius formæ, non ex agendi potentie defectu orietur: & non necessariò ad forum utrumque pertinebit.

Quarta; quia, licet electionis, solennitatis defectu laborantis, irritatio in incommodorum Ecclesiis inferendorum periculo fundetur, ad internum tamen forum non necessariò porrigetur, cum; quia eam pro hoc etiam Foro irritatam, Jure non satis est expressum: tum verò; quia incommodorum, Ecclesiis imminentium periculo satis occurritur per hoc, quòd, solennitatis defectu apparente vel probato, ad instantiam, vel ex officio irrita nullaque declarari à superiore possit.

Postrema; quia, si in electione interveniant, quæ ad ejus valorem exiguntur Jure Naturali & Divinò, electus substantialiter jam habet ea, quæ

exiguntur, ut ei spiritualis jurisdictio concedatur; cum ista etiam tribuatur ei, qui communi errore pro prælato habetur, qualis propter tituli nullitatem vel omnimodum defectum re ipsa non est, ut *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor. & s. Veruntamen post can. Infamius 3. q. 7. tradetur Lib. 2. Tit. 1. à n. 63.*

Dubium sextò est, an, si ante electionis, à majori Capituli parte facta acceptationem vel publicatum ejus decretum, aut etiam electò eam non accipiente vel mortuò electores, qui sua in eum suffragia contulerunt, substantialium solennitatum aliquam omissionem adverteant, novam electionem validè inchoare possint, etiam minori parte contradicente & de nullitate protestante. Ratio dubitandi est; quia electorum pars major non servatam formam, eligendi potestatem pro ea vice amittit, *c. Quia propter cit. pr. V. Nisi*; ac proinde nova electio præjudicaret parti minori, quæ eligendi jus pro ea vice sola habet. Verùm; quia *V. cit.* major pars eligendi potestatem seu voce pro ea vice non privata ipsò Jure, sed privanda dicitur, privationis sententiam ferendam, nova electione, secundum *c. cit.* formam institutà, prævenire potest sine præjudicio minoris; cum ante ejusmodi sententiam eligendi jus minori parti soli necesse sit quaeritum: & privationis, per sententiam infligendæ, poena à Jure decreta non tam favore ipsius, quam odio majoris partis, solennitatis omissione delinquentis: quæ defectum cognitum committere, antequam voce per judicis sententiam privetur, non prohibetur, ut *in c. cit.* cum Innocentio *n. 9. Panormitanus Nisi cit. n. 6.* docent Laiman. *n. 13. Passerinus cit. cap. 9. n. 63.*